7

*

GRATULATIO

CORAM EXC.mo

D. D. D. FRANCISCO

DELGADO ET VENEGAS

HISPALENSI ARCHIEPISCOPO,
CUM MAJUS

SANCTI THOMÆ

AQUINATIS

EJUSDEM CIVITATIS COLLEGIUM
SUO FAUSTISSIMO
DECORARET ADVENTU,
RECITATA,
TYPIS MANDATA,
ET IN LUCEM EDITA,

A D. JOSEPHO DE CASTRO
ET NAVARRO,

IN PRÆDICTI MAJORIS COLLEGIJ
AULA TERTIA, ET QUARTA
LATINITATIS CANDIDATO.

Superiorum permissu, Hispali, apud Typographum Majorem ejusdem Nobilissimæ, Fidelissimæque Civitatis.

EXCELLENTISSIMO
D. D. D. FRANCISCO
DELGADO ET VENEGAS,
SANCTÆ METROPOLITANÆ,
AC PATRIARCHALIS
ECCLESIÆ
HISPALENSIS
MERITISSIMO
ARCHIEPISCOPO,
EJUSQUE FIRMAMENTO
MAXIMO,
CATHOLICI, AC POTENTISSIMI
HISPANIARUM REGIS
CONSILIARIO,

CUM RELIGIOSISSIMIS VOTORUM
PRO PERPETUA ILLIUS FELICITATE
NUNCUPATIONIBUS,
HANC A SE IPSO RECITATAM

ORATIONEM

DICAT, ET CONSECRAT SUBMISSISSIMUS,
AC DEVOTISSIMUS CLIENS,

JOSEPHUS DE CASTRO
ET NAVARRO,

HOCQUE CONCINIT EPIGRAMMA:

Hispalis altus apex, Mitræque biverticis honos
Accedunt meritis præmia digna tuis.
Te redeunte, redit nostris Pax candida Musis,
Quarum læta manus commoda magna capit.
Tu, qui gessisti clarum nomenque, decusque,
Et cujus cingit Laurea Sacra Caput,
Excipe propitius nostræ donaria mentis,
Quæ memor ante tuos sistit amica pedes.

ORATIO.

QUOD felix, faustumque sit, Excellentissime Præsul, Hispalensis Diœceseos amor, ac delicium. Quod felix, faustumque sit, et apud ęternam Posteritatis memoriam consecratum, clariorem præsentiâ tuâ, quàm Solis lumine, ho-

diernum diem, quo nullus adhùc candidior, auspicatiorque nobis illuxit, atque hoc insolito tuo adventu impatientibus votis expectato, testatissimum, celeberrimumque reddere conaturi, non potuimus nobismetipsis temperare, quin hanc incredibilem lætitiam, cujus insolentiam, et exundantes æstus Amplitudo tua ferat, opportet, manifestam faceremus. Te ipsum, Excellentissime Domine, Pontificalium Hispalensis Metropoleos Infularum

auspicantem initia, has Angelico Doctori Divo Thomæ Aquinati sacras Ædes, quarum etiam vel Atria quodam modo lætari, exultareque videntur, subeuntem, velut salubre quoddam affulgens Sydus, hilares conspicimus, obsequentes veneramur. Utinàm quanta est nostra ipsorum alacritas; et studium, tanta inesset dicendi gravitas, et majestas, vt digna, Excellentissime Princeps, vestris auribus, digna hoc animorum ardore, quibus tanta dicen-

dorum expectatio vix vnquàm contigit, contingeret Oratio. Sed tuarum virtutûm incredibilis cumulus, ac planè singularis, cujus exitus initio difficilior, quantacumque possit existere, verbis, et sententijs perpolitam superat orationem, ità nostri ingenij aciem percellit, ac obtundit, vt tacitis nos potiùs votis involvere, quàm planè tumultuario dicendi genere in vestras laudes irrumpere præoptemus. Quarè vestræ humanitatis erit, Excellentissime Præ-
sul,

sul, cujus benignitate reficimur, cujus humanitate recreamur, perficere, ad ea, quæ serpens, ac debilis Oratio nostra pertingere non possit. In tantæ igitur auspicatissimo gratulationis exordio gratias omnium Conditori, ac Moderatori Deo, et agimus, et habemus cumulatissimas, quòd te opportunè admodùm rebus fessis opem laturum, clarissimæ huic Hispalensi Sedi, cui tantundem addes splendoris, quantum ab ea accipis decoris, et ornamen-

ti, præfecerit. Gratulamur itaquè tibi, quòd vocaverit te Deus in hunc excelsum Locum, vt Lucernam operûm tuorum homines videant, et glorificent Patrem, qui in Cœlis est. Quòd tuis virtutibus, tuis meritis, tuis laboribus, tuis deniquè præclarè gestis rebus rectissimam viam, ad, quò nunc evectus es, fastigium, aperuisti. Gratulamur vniversæ, quæ tibi commissa est, Diœcesi, quòd talis ei contigerit Pastor, quali auspice, quali auc-

tore, quali moderatore, Pietas, Religio, Fides repullulascet, reviviscet, efflorescet. Qualis omnes suas ipsius oves ingenti benevolentiâ, solidissimâ fide, et paternâ omninò dilectione complectens, earum profectibus, commodis, et quieti vigilantissimè prospiciet, operosissimè consulet, atquè ipsis omnem securitatem comparabit. Gratulamur virtute, sapientiâ, et rerum gestarum gloriâ clarissimo, ac perillustri Ecclesiastico Hispalensi Senatui, qui sub

auspicijs potentissimi Hispaniarum Regis Caroli Tertij, Domini nostri, longè clementissimi, optimi, justissimique virtutis, atquè meritorum æstimatoris, ac Judicis, talem veneratur Præsulem, qualem aut suffragijs deligere, aut votis optare potuisset. Gratulamur florentissimæ hujus Civitatis vniversis ordinibus, quibus is divinitùs datus est Dux, Præceptor, ac Custos, in quem omnium convertentur oculi, in quem, veluti signum, dirigen-

tur animi, in quem veluti scopum vitæ rationes componentur. Gratulamur et nobis, quòd te non solùm vigilantissimum Pastorem aspicimus, sed Patronum dilectissimum, et nostræ Academiæ Cancellarium amplissimum, ipsiusque prærrogativi juris munificentissimum Conditorem, cùm jam, quod proximum est, ejus commodorum audiveris Restitutor. Nequè multùm aberraverimus, si te natum, educatumque ad has Pontificales Infulas fatebimur.

Quemadmodùm autem per omnem Humanarum, Divinarumque Artium curriculum, quem nostris in his Scholis non solùm sinè magna expectatione, sed etiam eorumdem Professorum admiratione auspicatissimè transegisti, te ad hanc amplissimam Dignitatem assumptum nostræ felicitatis, atque hodiernæ diei exundantium gaudiorum Conditorem futurum, illa, quam semper in ore habebas hujus Collegij indulgentissimi Statoris Didaci

commendatio, nobis præsagire visa est; ita tibi quoquè, Præsulûm optime, nil non magnum, et augustum portendebatur: vt minimè nobis non sit ambigendum, quin rerum gerendarum gloriâ ipsum æquare valeas, qui, quidquid in tanto Præsule præcipuum fuit, et excellens, in te vno colligis, prorsùsque exprimis, et reddis: atquè hinc meritò secunda, et auspicatissima capimus auguria, quòd res nostræ benè, ac felicitèr sint, te ipsas moderante,

rante, successuræ. Gratulamur iterùm nobis; et siquis hæc eadem repetita verba inopiæ dicentis assignet, periculum hoc idem prosequendi faciat, et nil facundius proferre valebit. Nobis ergò iterùm, atquè iterùm gratulamur: quòd nullus sit ordo, cujus vel plura, vel majora adversùs te argumenta benevolentiæ, fidei, pietatis, observantiæ, et submissionis appareant; quòd nullus sit, quem, quibuscumque locis, et temporibus majori voluntatis significatio-

catione prosecutus sis. Non auderemus ista profiteri, nisi vera esse constaret, et tu vera libentèr audires. Velis, nolis, mitissime Præsulûm, boni consulas opportet, vt ad hujus devotissimum gratulationis adimplendum officium, illius omnes devincientis humanitatis memoriam refricemus, quâ grati animi benevolentiam, et in Doctorem Angelicum observantiam testaturus, dùm tibi vacabat, hæc Atria, hæc Gymnasia tuâ presentiâ deco-

ra-

ravisti. Pacensi, et Corduben- si Ecclesiasticis Dignitatibus auctus, nos, nobis potiùs gratulaturus, quàm tibi gratulaturos convenisti. Fortunatarum Insularum Præsul constitutus, non solùm hos angustos parietes tuo inopinato adventu decorasti, sed etiam, quæ tua est humanitas, exedras omnes, horâ, quâ prælectiones habebantur, vno Religionis, amore, atque doctrinæ, et illâ benevolentiâ singulari, quam pro tuâ bonitate habes adversùs omnes

pu-

publicæ salutis amatores impulsus, visisti. Nequè his minora fuerunt tua in hoc Collegium promerita, cùm ad istas, quibus decoraris, quæque te ipso decorantur, assumereris Infulas: quæ omnia apertissimè, ex tuis ad nos humanissimis datis literis, et tuam in idem Collegium observantiam, et grati animi benevolentiam testantibus, apparent. O! grande humanitatis exemplum, quod sequi cupiat ventura posteritas, etsi rerum pateretur ordo, ad-

scribi sibi voluisset antiquitas! Quapropter non sinè divini Numinis providentiâ factum esse, arbitramur, vt te ipsum hac calamitosâ tempestate, quâ non parùm detrimenti (dicendum quod res est) passa est Respublica nostra literaria, adeò vt nunc ægrè tueatur Jura, quibus non dicam per aliquot annorum decursum, sed per sæcula gavisa est, ad literarum decus, et incrementum, et grande præsidium, et Mœcenatem haberemus indulgen-

tissimum. O! fortunata Hispalis! O! nos quantulacumque tibi gregis dilectissimi pars terque, quaterque felices, quos tanti Præsulis patrocinium sublevat, humanitas erigit, charitas accipit, munificentia fovet. Pateret hic latissimus disserendi campus, si scientiæ magnitudinem, si variæ eruditionis amplissimam commendationem, si rerum gestarum gloriam; si dexteritatem gerendarum; si singula tuarum virtutûm ornamenta, et facta

pulcherrima, atquè æternitate dignissima, saltem numerando, percensere constituissemus. Sed quis nostræ Orationis finis sperandus esset! Quid quòd minimè potiùs hæc omnia caperet, cùm illa angustior, tenuiorque sit, quàm, vt ea vniversa adumbrare, nedùm eloqui, et exprimere possimus. Prædicabitur ab alijs illa tua planè singularis comitas, quâ nullum à te tristem patiare dimissum; quæ non minùs in te jam Episcopo, quàm in omni anteactâ vitâ

ex-

excellentèr emicuit, vt idem semper, servato tamen decoro, fuisse videaris, nec immutati in te mores, sed aucta tantùm dignitas cognoscatur. Dicent alij illam maximam, ac præclarissimam æquitatis normam, quâ Paræcijs, quâ cæteris Ecclesiasticis Muneribus, eos præfecisti, qui nisi ad ea obeunda adsciti essent, digni sanè forent antè alios, qui adciscerentur. Commemorabunt alij, illam Prudentiam singularem, quâ Christianum

tibi commissum gregem rexisti, gubernasti, vt sublatis, si quæ oriebantur, discordijs, sinistra, quæ ipsis incumbere videbantur fata; penitùs averruncans, omne discrimen, omnemque metum longissimè avertisti, expulisti, fugasti. Testentur alij munera Pietatis, et incredibilis monumenta Misericordiæ, quarum non poterit luculentius indicium, ac testimonium inveniri, nullum efficacius, præstantiusque argumentum afferri, quàm quòd nusquàm

illis tardus, aut remissus ingentem Pecuniæ vim, magnamque frumenti copiam pauperibus largissimâ distribuisti manu; necessitati tuæ in dies tantò plus detrahens, et propè dixerim, abradens, quantò longiùs tua commoda egenorum saluti postponis; id profectò tutum credens thesaurum, quòd per manus pauperûm in cœlis congeritur. Quoniam autem longiori tuarum laudûm commemoratione priùs tuas aures defatigari,

quàm nos ipsos satiare fortassè contingat, atquè nè hâc tuâ audiendi benignitate (humanissime Principûm) abuti videamur, omnia hæc votorum rei, atque æternâ obsequij lege obstricti consultò prætermittimus. Sed inter tot animorum amicam consentionem, inter vtrinque hominum votivas acclamationes, plaususque, et gaudia, nostram Religionem audemus exponere: tuis enim in oculis, tuo in ore, vultuque acquiescimus: te

vnum

vnum intuemur, in te vnum, ad quem omnis ab initio nostra spectavit Oratio, finem inventura, convertitur. Te cùm intuemur, tùm de plerisque tuis Prædecessoribus Excellentissimis Præsulibus recordamur, quorum in hoc Collegium hæreditario quodam jure derivata dilectio, ac benevolentia indulgentissimis significationibus semper ipsum affecerunt, liberalique munificentiâ decorârunt: cùm amplissimum ejusdem Conditorem

Didacum, qui, si quis mortuo sensus inest, ab illo, in quo jacet, monumento, sui nominis memoriam, ipsiusmet Collegij dignitatem, ac omnium nostrûm salutem tibi commendat: à te petit, vt suscipias causam suam, tuam ipsius, nostramque ipsorum. Tua potiùs, Excellentissime Princeps, tua potiùs, quàm nostra, hæc causa est. Illius auspicijs crevimus, sed tuis, et quidem faustissimis, innitimur. Converte quoquoversùs istos oculos

hu

humanitatis, et lenitatis plenos, hæc Atria, hos parietes, hæc tecta circumspice, quæ nobis idem proferre videntur, tacitaque orare, supplicitèr et obsecrare, vt te Patronum, ac Defensorem, vt semper fecisti, literis præbeas, et Religioni. Quapropter incredibilem hujus diei fulgoribus tuæ præsentiæ decorati lætitiam (quòd solùm vel accipere potes, vel à nobis offerri valet) nostris in mentibus sempiternè duraturam recolemus. Nequè

solùm dùm animâ spirabimus nostrâ, grati, et observantis animi benevolentia declarabitur, sed etiam cùm à nobis ipse defecerit spiritus, monumenta tui in nos beneficij permanebunt. In referendâ autem gratiâ, Excellentissime Princeps, hoc tibi pollicemur, semperquè præstabimus, nobis, nequè in obeundâ quâcumque nostri muneris parte, diligentiam, nequè in laboribus perferendis industriam, nequè in literarum studijs, bo-

nisque moribus erudiendâ Juventute constantiam, nequè in colendo tuam amplissimam Dignitatem grati animi benevolentiam defuturam.

DIXI.